

cisco Sfortia capitur, & cum omnibus filiis Mediolanum perductus est, quod cives illi cum Florentinis pacisci de Luca prodenda intellexerant: omnisque ejus domus direpta. Eo Anno Martinus V. Pontifex per caduceatorem mandat Roberto Malatestæ & fratribus, ut restituant Terras, quas possidebant Ecclesiæ, qui restituere Burgum Sancti Sepulcri, Osimum, Cerviam, Fani Vicarium, Pergulam, & Senogalliam. Eodem Anno Pontifex tradidit Senogalliam Carolo Malatestæ Pisauri Domino.

Anno 1431. die 22. Februarii, vir prudentissimus, ac felicissimus Pontifex, Martinus V. moritur. Nam quum tempore suæ electionis Ecclesia Romana nil possideret, quum primum Pontifex factus est, omnia Ecclesiæ jura restituit, & optimo in statu rem Romanam reliquit. In ejus locum successus est Eugenius IV. Venetus, qui Gabriel dicebatur, die undecima Martii. Hic in principio sui Pontificatus, contra Columnenses & alios finitimos ejusdem factionis bellum movit, quod varia fortuna gestum est. Lucenses postquam libertatem adepti sunt, expulso Tyranno quo cum Florentinis indignatio fuerat, pacem à Florentinis petentes non impetrarunt; immo illi continuant bellum, adfecto sibi Guidone Urbini Comite, ducemque belli cum fecere, & majori conatu Lucam obsedere. Omni tormentorum genere mœnia quatiebantur. Jam Franciscus Sfortia, receptis quinquaginta millibus aureis à Florentinis, Mirandolam rediit; ferebaturque Nicolaum Piccininum in præsidium Lucensium à Philippo Maria mittendum. Quem quum Florentini pecunia tentassent, nihil profecere; sed venit, & magna vi exercitum Florentinorum una cum Antonio Pisano fugavit die secunda Decembris. Deinde in Pisano agrum Oppidum Calci expugnat, & Sanctam Mariam ad Trebium, & Pontem Saccum; & quædam alia Oppida rebellant à Florentinis, Castellum Martis, Palura, Pesule, & alia omnia Pisano Castellum, præter Cassinam & Liburnum. Deinde in Miniatiensium agro profectus, decem & septem ejus agri Oppida diripuit. Inde non prius discessit quam Senas profectus, eos impulit ad bellum contra Florentinos agendum, Stagiæque obsedit. Cui quum spes Aretii potiundi à nonnullis civibus esset oblata, relicta obsidione Stagiæ, nocte tota profectus, orto jam Sole Aretii portis se obtulit. Sed ea nocte conjuratio detecta fuerat, & conjurati securi necati. Quum spe illa frustratus esset, plura Aretini agri Castella cepit. Hoc bello Florentini Populi opes maxime attritæ sunt, & in summum discrimen adductæ, quum & Pisani agri Castella, & Volaterrani essent amissa, Pisæ etiam vix servatæ. In Aretino agro res in magno periculo erant. Qui restarant, ad defectionem erant intenti; Senensesque Gambasium Florentini agri occuparant. Et ut fieri solet, rebus male succedentibus, tributorum solutio ingens, exhausto omni arario. Cives, qui hujus belli causa fuerant, jam Populi vocibus exsecrati. Nisi à Venetis esset subventum, de eorum libertate actum fuisset. Eo Anno Concilium Basileense celebratur. Eodem Anno Sigismundus Imperator cum Teutero congressus, superior evasit. In quo præ-

lio triginta millia Turcarum cæsa sunt. Alphonsus Aragon iisdem temporibus cum Johanne Hispaniæ Rege cognatione sibi conjuncto decertabat, magno suorum damno. Nam fratrem amisit ab Hispanis obrunctum. Eduardus Portugalli Rex ejusdem generis cum Afris pugnabat. Mauri cum Afris potentiores facti, Christianos continuis præliis laceffebant, quos Rex tandem magna industria superat, victorque in Hispanias rediit. Iisdem temporibus Jacobus Candola à Pontifice magna pecunia conductus, ut Columnensibus bellum inferret, pecunia accepta, à Pontifice defecit. Deinde stipendio Antonii Columnæ militans, octuaginta millibus aureis perceptis eum frustratus est. Johannes Caracciolus Marinum fratrem in Pontificis auxilium in Campaniam misit cum tribus millibus equitum. A quo Antonius pulsus se se ad sua Castella recepit. Sed non multo post Pontifici reconciliatus quievit. Eodem Anno Veneti cum Francisco Sfortia apud Cremonam navali prælio conflixerunt, in quo Philippus Maria superior evasit, captis Venetorum navibus. Veneti quievere. Fœdere cum Florentinis isto, quum nequivissent Philippo bellum inferre, qui paullo ante cum eo pacem firmarant; tamen classe parata apud Populonium classem Genuensium adorti, ceperunt undecim Genuensium triremes. Hoc Anno subditi Malatestarum in diversis Civitatibus tumultu exorto omnia perturbarunt.

Eodem Anno Nicolaus Tolentinus magna pecunia à Florentinis suscepta à Philippo Maria defecit: cujus discessu Veneti ejus Statum in periculum adduxerunt. Ille igitur rebus suis consulens, Sigismundum Imperatorem in Italiam ut veniat hortatur. Cujus adventum Eugenius IV. ægre ferens, causam præstitit, ut Columnenses Philippo adhererent atque Sigismundo, & bellum Pontifici moverent; qui jam Præfectum Urbis Jacobum suo dominio deturbat. Ea tempestate Nicolaus Fortebraccius Tifernum obsedit. Contra hunc Guido Feltrius Bernardinum Ubaldinum immissit, & obsidionem sustulit. Pisarenenses eo Anno rebellant à Pandulpho Malatesta, qui quum Romam ivisset, sua jura petiturus, videns sibi verba dari, aufugit in Terras Columnensium. Eodem Anno Poliffena Ruffa Antonii Columnensis uxor, patris sui tutoris scelere, à Catanensibus fœde trucidatur. Ejus soror Henrichetta Sancia vix impias proditorum manus evasit, quæ postea Antonio Centilio nupsit. Hac cade vulgata Antonius Columna, qui Crotonum iverat ad uxorem suscipiendam, Crotono relicto Asturum se contulit, Pontifici bellum illaturus eo fœdere, quod cum Philippo Vicecomite jecerat. Sigismundus jam Lucam properaverat, quum Philippi copie in Pisano rediissent, & una cum Sigismundo conjunctæ Florentinos deturbarent. Sed Piccininus in Galliam contra Venetos revocatus redierat. Erat Albericus Lugi Comes dux exercitus Philippi in Etruria, cui Philippus in mandatis dederat, ne prius manum cum Florentinis confereret, quam Sigismundus iis adungeretur, huncque ceteri duces vererentur non ut ducem exercitus, sed tamquam virum suæ voluntatis edoctum. Hi ergo duces statuunt, priusquam Sigismun-